



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

ne fidelius; si perdidit herum suum, inquit, repetitque lares, unde abierit.

80. Quemadmodum fatuo solemus concedere, quia fatuus est, & malitiâ caret, ita cum mundo, dum peccatum abest, dissimulandum est. Addicere ei obsequium sincerum, culpam habet & poenam: fictè ei deservire, toleranda prudentia est. Deo serviendum corde toto ac sincero: mundo neque vero, neque ficto. Urbanè eum tractat, qui dissimulanter se habet, & non omnino abjicit, aut pedibus conculcat.

### DECAS IX.

81. Multis rationibus desipit qui non se novit, & querulatur. Passio eloquentem facit, sed absque ratione: præbet verborum copiam, sed & mentis inopiam.

82. Pons, qui te ad solium fortunæ deduxerit, occasio est; ad minus est medietas felicitatis: alterum dimidium diligentia absolvet. Diligentia industria manum porrigit, huic desiderium, magnus hujus fabricæ Architectus.

83. Negotiatorem nunquam solum reperias: semper stipatur vel à dolo, vel ab

dustria, vel à favore, vel à meritis. Dolus solet esse proditorum: labor ambitionum: favor palponum: merita debili-  
lium,

84. Qui gravi, facilique censura notare consuevit alterum, vates est, sibi idem eventurum ab aliis. Justum enim est legem patiari, quam ipse tuleris.

85. Nihil magis convenit, quam quò obstringimur. Idem est si non agas, quò oporteat, quam si agas, quò dedeceat.

86. Aptè passionem dixeris temulentiam cum libertate: nemo pejùs delirat, quam qui liberè delinquit. Passione incitatur voluntas, à judicio disponitur executio, atque ità duplici malitia peccat, qui peccare constituit: malum enim est malum velle, pejùs autem exequi.

87. Parùm differt ab exploratore Magistratus, apud quem Statùs consilia tecta non sunt. Æquivalet proditori, qui publicum bonum privato postposuerit. Pejor est imprudente, qui navem Reipublicæ fallaciis circumagit. Demum qui animum non reflectit ad supremum Numen, nihil melior est Atheistâ.

88. Pon-

88. Pondus mihi gravissimum est, & quod mirêre, levitas ejus hoc facit. Error intellectûs (quis dubitet?) gravior est pondere metalli. Plus ille doloris procreat, quàm gravitas plumbi. Gemino autem errore vanitas mundi conficitur: uno errat in fine, altero in mediis. Finis rerum Deus est; ille statuit voluptatem; in primum. Medium ad voluptatem temperantia est, usûsque moderatus: ille eligit excessum; & jam errat in toto.

89. Nunquid cassus est, imò & ridendus labor, ignem aquæ applicare, ut frigeat. In idem planè satagit mundi vanitas: distorquet res in finem, & hunc confundit cum mediis. Insanit, qui rebus tollit proportionem.

90. Qui eximiam de suis rebus æstimationem gerit, similis est ponderanti carbonem: remanet vas, & fuligo in facie vendentis. Si vaniculus res suas ad libellam expenderit, reperiet nec dimidium ejus esse, quod de se supposuerit.

*DECAS X.*

91. Prudentis gravior lapsus est, quàm fatui; si nimirum electis bene mediis ab-